



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE VERBO DEI|| scripto & non scripto,|| QVATVOR LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, 1599

VD16 B 1607

VII. Idem probatur ex Patribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53828)

ginum Veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus latè per historias traditum est. Et act. 7. in fine sic habet: Si quis traditionem Ecclesie, siue scripto, siue consuetudine & valentem nō curauerit, anathema sit. Idem repetitur in Concilio VIII. generali, act. 8. Et post, act. vlt. canone 1. profitentur Patres, seruaturos omnes traditiones, non solū Apostolicas, sed etiam Ecclesiasticas. Ex quo mirum videri nō deberet Lutheranis, si tale aliquid etiam docuit Concil. Trident. sess. 4. nihil enim noui statuit.

CAPVT VII.

Idem probatur ex Patribus.

ACCEDANT nunc testimonia Patrum Græcorum & Latinorum, qui incredibili consensione hanc veritatem docēt. Ac vt à Græcis incipiamus. *Beatus Ignatius* apud Euseb. lib. 3. hist. cap. 36. hortabatur omnes, Apostolorum traditionibus tenacius inharere: Quas traditiones, inquit Eusebius, cautela gratiæ etiam scriptas se asserit reliquisse. Hæc ille. Ex quo sequitur, eas ab Apostolis scriptas non fuisse.

Patres Græci.

Ad hoc testimonium nihil respondet Hermannus, nisi nō extare ista scripta Ignatij. At falsum est, non extare. Scribit enim Hieronymus in libro de viris illustribus, Ignatium scripsisse epistolam ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenses, ad Smyrnenenses, ad Polycarpum, quæ omnes nunc extant, & in eis inuenimus ieiunium Quadragesimæ, ordines minores, diem Dominicum, & alia quæ non sunt in Scripturis, & tamen ab Apostolis sine dubio Ignatius didicit.

Dionysius Areopag. cap. 1. Eccl. hierarchiæ: Primi illi, inquit, nostri sacerdotalis muneris duces summa illa, et substantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt. Ad hæc & similia respondere solent Lutherus, Calvinus, & ceteri, libros qui nomine Dionysij circumferuntur, non esse Dionysij. At citantur opera hæc nomine Dionysij Areopagitæ in VI. VII. & VIII. Synodo generali; item à Gregorio I. in homil. de centum ouibus; à Martino I. in Concilio Romano; & ab Agathone in epistola ad

Imp. Constantinum; ex quo coguntur fateri hæretici, hunc auctorem ante annos mille scripsisse, proinde non esse contemnendum.

EGESIPPVS apud Euseb. lib. 4. hist. cap. 8. Apostolicas traditiones quinque libris comprehendit, qui etsi modo non extant, tamen satis indicat hoc testimonium, Apostolos non omnia scripsisse, quæ docuerant. POLYCARPVS apud Euseb. lib. 5. cap. 20. referebat verba, quæ dicta à Domino ab Apostolis ipse audierat, & de virtutibus eius ac doctrina. IRENEVS autem, ut ibidem habetur, quæ Polycarpus tradere describebat non in charta, sed in corde suo. Hic certum est, quod de traditionibus non scriptis. Si enim de scriptis ageretur, nihil singulare diceretur de Polycarpo, vel Ireneo; nam ego possum referre dicta à Domino, quæ in Apostolis leguntur, nec est opus, ut ea describam in charta.

At nihilominus respondet Kemnitius, loqui Eusebium de traditionibus, quæ probari possunt ex Scripturis. At eadem ibidem, illa omnia quæ Polycarpus dicebat, fuisse consona Scripturis, sed errat Kemnitius; nam aliud est, esse consona Scripturæ, aliud posse probari ex Scriptura. Omnis enim traditio, immò omnis veritas est consona Scripturæ, eum tamen à vero dissonare non possit, nec tamè omnis veritas probari potest ex Scriptura.

IUSTINVS in fine 2. apologiæ pro Christianis, postea quæ exposuit multa de Christianis, & inter alia quædam non scripta in diuinis literis; ut, quod conueniant singulis Dominicis, & post lectionem Scripturarum & concionem, offerretur & consecratur panis & vinum aqua temperatum, & quod liceat villo modo participare de Eucharistia, nisi post Baptismum, & alia: subiungit statim: *Postridie Saturni, qui dies solis est, cum Apostolis, discipulisq; suis apparuisset, hæc illis tradidit, quæ vobis quoq; consideranda permittimus, &c.* Et quod uis etiam Iustinus non diceret, hæc esse tradita à Christo, tamen cum Iustin. vicinissimus fuerit temporibus Apostolorum, necessarium esset credere, quæ ipsius tempore in Ecclesiis gerebantur, ab Apostolis tradita fuisse. Quis enim alius huiusmodi potest auctor?

Ad hunc locum & similia Cypriani, Ambrosij, Hilarij, Hieronymi, & aliorum, quæ adferemus, nihil ferè responderet Herman

Hermannus & socij eius, nisi istos omnes alicubi errasse. Sed hoc nobis non officit. Etsi enim errauerint aliqui Patrum in quibusdam dogmatibus, nunquam tamen omnes simul in eodem errore conuenerunt: proinde cum ostendimus, omnes conuenire in traditionibus non scriptis asserendis, satis efficaciter probamus, in eo illos non errasse.

IRENAEVS lib. 3. cap. 2. 3. & 4. multa praecleara de traditionibus dicit, quae tamen a Brentio & Kemnitio trahuntur in alium sensum, de quo nunquam Irenaeus cogitauit. BRENTIVS dicit, loqui Irenaeum de traditione Scripturae, id est, de traditione illa, qua per successionem Patrum intelligimus, quae sint verae Scripturae: At non hoc uelle Irenaeum, uerba eius nos docebunt, lib. 3. cap. 4. Quid autem, inquit, sineque Apostolorum Scripturas quidem reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderant eis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multi gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine caractere & el a tramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes. Si loquitur Irenaeus de traditione Scripturae, quomodo isti barbari habebant, & custodiebant diligenter traditionem, qui Scripturas nullas habebant?

KEMNITIVS autem dicit, loqui Irenaeum de traditione eorum dogmatum tantum, quae in Scripturis inueniuntur, & quae per Scripturas probari possunt. At hoc etiam esse falsum, docebunt eiusdem Irenaei uerba: nam cap. 2. 3. & 4. docet, non esse aliam uiam perueniendi ad ueritatem, quam consulendo Ecclesias, in quibus est Successio Episcoporum ab Apostolis, & considerando quid ibi doceatur, & quam dicant illae Ecclesiae esse Apostolicam traditionem. Vult igitur Irenaeus, traditionem latius patere, quam Scripturas, & sensum Scripturarum difficilium non ex Scriptura, sed ex traditione haberi, ita ut traditio sola sufficiat, Scripturae autem non sufficiant. At falsum esset hoc totum, si nihil aliud traditio contineret, quam id, quod euidenter colligitur ex Scripturis, ut Kemnitius somniat.

Postquam igitur cap. 2. dixerat, haereticos non posse conuinci ex Scripturis; & c. 3. enumerauerat Romanos Pontifices a Petro usque ad Eleutherium, qui tunc sedebat, ut ostenderet, esse

Videatur locus: maximam in injuriam facti habendo quum ipsam dicerent in ueritate ueritatem ab his, qui traditionem in se autem ea occasione ad traditionem quae in scripturis doceant, transibit.

patet ex cap. 3.

Nequam.

esse in Ecclesia continuatam successionem Episcoporum con-
seruantium traditionem Apostolicam: ita loquitur cap. 4.

TANTAE igitur offensiones cum sint haec, non oportet ad
querere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia
mere: cum Apostoli quasi in depositarium diues, plenissime
eam contulerint omnia, qua sunt veritatis, et omnis, qui
velit, sumat ex ea potum vita. Hac est enim vita in tra-
mines autem reliqui fures sunt et latrones. propter quod
ret deuitare quidem illos: qua autem sunt Ecclesia, cum
diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem.
Quidem enim, et si de aliqua modica questione disceptatum,
nonne oportet in antiquissimas recurrere Ecclesias, in
quibus Apostoli conuersati sunt, et ab eis de praesenti quaestione
sumere quod certum, et re liquidum est? Quid autem si
Apostoli Scripturas quidem tradidissent, nonne oportet tra-
ditionem sequi traditionis? et c. Quibus verbis addeda sunt
idem habet lib. 4. cap. 43. Qui successionem habent ab Apos-
tolis, cum Episcopatus successione charisma veritatis certum
cundum placitum Patris acceperunt. Vides, quomodo Apos-
toli tradiderunt successoribus non solum Scripturas, sed
charisma veritatis certum, id est, veram Scripturarum intelligenti-
tiam, et vniuersam doctrinam Euangelicam.

CLEMENS ALEXANDRINUS in libro de Paschate
est apud Euseb. lib. 6. hist. cap. 11. dicit extorqueri sibi a fratri-
bus, ut ea quae a Presbyteris, Apostolorum successoribus, re-
ce sibi sola tradita essent, describeret in libris, ac posteritas
deret. nescio quid clarius pro traditionibus dici possit.
GENES in cap. 6. epistolae ad Romanos: Ecclesia, in qua
Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis Baptisima
re. Et homil. 5. in librum Numerorum: In Ecclesiasticis ob-
seruationibus, inquit, sunt nonnulla, qua cum omnibus facile
necesse sit, eorum tamen ratio non omnibus patet. Et com-
parat statim multas traditiones non scriptas.

EUSEBIUS lib. 1. de demonstratione Euangelica, cap. 8.
Ceterum, inquit, Moses in tabulis inanimatis, Christum
in mentibus vita praditis perfecta novi Testamenti doctrina
descripsit. Eius vero discipuli, ad magistri sui nutum, an-
tibus multorum doctrinam sua commendantes, quacumque
idem veluti ultra habitum progressis a perfecto ipsorum mag-

stro precepta fuerant, ea iis, qui capere poterant, tradiderunt: quacunque vero iis conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisq; indigentes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim literis, partim sine literis, quasi iure quodam non scripto seruanda, commendauerunt.

ATHANASIUS in libro de decretis Nicænae Synodi, contra Eusebium: Ecce, inquit, nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam, demonstrauimus. Vos autem, ô noui Iudæi & Caiapha filij, quos eadem nominum Vestrorum potestis ostendere progenitores? BASILIUS libro de Spiritu sancto, cap. 27 Dogmata, inquit, quæ in Ecclesia seruantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recepimus. Quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet, &c. Et enumerat continuò plurimas traditiones non scriptas, & similia habet cap. 29.

Respondet KEMNITIUS, hæc, quæ Basilius refert, non esse dogmata fidei, aut morum, sed tantum ritus quosdam liberos, ut signare se signo Crucis, adorare ad Orientem, benedici aquam, &c. At meminisse debet Kemnitius, se dixisse, nõ posse ostendi vllum ritum certò ab Apostolis institutum: hinc autem Basilius audacter enumerat plurimos ab Apostolis institutos. Deinde etsi non sit necessaria ad salutem obseruatio aliquorum ex his ritibus, tamen necessarium est ad salutem, credere esse bene institutos, & eos non contemnere: quemadmodum multa quæ sunt in Scripturis, non sunt necessaria ad salutem, ut quod vir aperto capite oret, & mulier velato, I. Corinth. II. & tamen necesse est ad salutem ista credere, & non contemnere.

Denique Basilius nõ solum ritus quosdam, sed etiam quædam refert essentialia, ut confessionem fidei, id est, Symbolum Apostolicum, quod ex traditione habemus, & olei vnctionem in Sacramento Confirmationis; quædam etiam alia commemorat, quæ etsi ex se non sunt necessaria, tamen postquã præcepta sunt, ita sunt necessaria, ut si de industria omittantur, grauiter peccetur: ut signum Crucis in consecratione aquæ,

Eucharistiæ, Chrismatis; necnon abrenunciatio Saranae & pompis eius in Baptismo, &c. Dicit enim Augustinus tractatu 118. in Ioannem, sine signo Crucis nulla Sacramenta rite peragi: & idem docet Chrysostomus homil. 55. in Mattheum.

BRENTIUS autem inuerecundior, respondet has Basilienſententias esse ex nauis & erroribus Basilij, qui pro honorati viri deberent silentio regi: & nos vocat porcos & imitatores Cham, qui Patrum nostrorum turpitudines denudant. Non enim existimat esse ferendum, quod Basilius dicat eisdem vim habere ad pietatem traditiones pedagogicas (ipse loquitur) de signo Crucis, & aqua benedicta, cum scripturæ sanctæ dogmatibus.

Sed omissis conuiciis, nec enim nostrum est, reddere malis pro malis; respondeo ad id quod Brentius obiicit, rectius æquari traditiones Scripturis. Nam ut in Scripturis quedam sunt magna præcepta; ut, diligere Deum, quædam minora non dicere verbum otiosum, quæ non æquè obligant ad obseruationem, & tamen æquè obligant ad fidem & uenerationem. Non enim minus est hæreticus, qui non credit, aut non veneratur Scripturam illam, quæ dicit: *De omni Verbo otiosum reddent rationem in die iudicij*; quàm qui non credit, aut non veneratur illam: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Ita etiam in traditionibus quedam sunt maiora, & quedam minora, quoad obligationem agendi, & tamen omnia æquè obligant ad fidem, & uenerationem. Et eodem modo quedam sunt traditiones maiores, quoad obligationem, quàm quedam Scripturæ; quedam minores, & quedam æquales, cum tamen omnes traditiones, & omnes Scripturæ sint æquales quantum ad fidem & uenerationem, quæ illis debetur, cum proficiscantur ab eodem auctore Deo, & veniant ad nos per manus eiusdem Ecclesiæ Catholicæ, quæ est mater nostra & Christi sponsa.

Denique HERMANNUS non contentus iis, quæ Beatus Kemnitius dixerant, addit: Ista omnia non esse Basilienſia, sed inserta in libro Basilij ab aliquo nebulone. Quæ sanctæ peditissima responsio est. Sic enim facile est soluere omnia argumenta. neque adfert aliam probationem Hermannus quam Erasmi testimonium, qui visus est sibi, nescio quam diuersitatem styli, olfecisse in his capitibus à superioribus.

B. IOANNES DAMASCENVS longè antiquior & doctior, & in Basilij scriptis magis versatus, nihil tale olfacere potuit. Is enim, (vt omittam recentiores plurimos) in Orat. I. pro sacerdotibus, sic ait: *Sic ad Verbum ait diuus Basilius in vicesimo septimo capite illius libri, quem de Spiritu sancto triginta distinctum capitibus ad Amphilochium scribit. Quæ in Ecclesia seruantur, & prædicantur instituta, partim ex scripta constant doctrina, partim Apostolorum traditione, &c.*

GREGORIUS NAZIANZENSIS Orat. I. in Iulianum, vltra medium, postquam dixerat propter dogmata Testamenti veteris & noui doctrinam Ecclesiæ visam fuisse Iuliano mirabilem: addit continuò: *Ceterum, inquit, maiorem atq; insigniorem ob eas Ecclesiæ figuras, quas traditione acceptas in hunc &sq; diem seruamus, &c.* Explicat autem postea, se figuras Ecclesiæ vocasse disciplinam, politiam, ordinem Ecclesiæ, rationem psallendi, modum poenitentiae imponendæ, sacra in templis, monachatum, virginum cœnobia, & alia per multa, quæ ex sola traditione habentur. Quæ omnia Iulianus voluit Ethnicos imitari, vt eo modo Christianos facilius traheret ad paganismum.

CHRYSOSTOMVS in 2. Thessal. 2. *Pater, inquit, quod nō omnia per epistolam tradiderint Apostoli, sed multa sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam ista, quam illa.* Idem habent Theophylactus & OEcumenius. Hic illud notandum, cum Basilius, Chrysostomus, Theophylactus, OEcumenius æquent traditiones Scripturis, quid sit iudicandum de censura Kemnitij, qui ait: *Insignis omnino audacia est, auctoritati, & maiestati Scripturæ canonice aliquid æquare.* & passim ridet Concilium Tridentinum, quod pari pietatis affectu veneretur traditiones & Scripturam. Idem **CHRYSOSTOMVS** homilia 69. ad populum, & homil. 3. in epistolam ad Philipenses: *Non frustra, inquit, ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorū, qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumentum fieri, multum vtilitatis.*

THEOPHILVS lib. I. & 3. Paschali, disertè docet, legem ieiuniorum, Apostolicam esse traditionem. **CYRILLVS** Hierosoly-

rosolymitanus in catechesibus mystagogicis, nihil ferè explicat aliud, quàm traditiones non scriptas de Baptismo, & alio Sacramento. EPIPHANIUS hæres. 55. quæ est Melchisedicianorum: *Termini, inquit, nobis positi sunt & fundamenta, & edificatio fidei: & Apostolorum traditiones, & Scripturæ, & successiones doctrinæ, & Undequaq; Veritas Dei manifestata est: & nemo decipiatur novis fabulis.* Item hæres. 61. quæ est Apostolicorum: *Oportet, inquit, & traditione vitæ non esse omnia à divina Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt.* Similia vide hæresi 75. Aërij, & in compendiaria doctrina.

Ad hæc nihil respondent, nisi blasphemando, Epiphanium delectatum esse nimium traditionibus & apochryphis fabulis, &c. Et inter alia putat BRENTIVS non ferendum, quod Epiphanius dixerit, Apostolicam esse traditionem, quod sit licet nubere post votum emissum virginittis: cum nimium id fecerint primi parètes Lutheranorum, Lutherus & Carthusina. sed hæc alibi suo loco refellentur.

DAMASCENVUS lib. 4. cap. 17. *Plurima, inquit, Apostoli sine scripto tradiderunt, &c.* Multa etiam habet oratione prima pro imaginibus sacris.

Palæ Latinæ

Ex Latinis. TERTULLIANVS libro de corona militis *Etiam, inquit, in traditionis obtentu exigenda est, inquit, auctoritas scripta. Ergo queramus, an & traditio non scripta debeat recipi. Planè negabimus recipiendam, si nulla præcederent exempla aliarum observationum, quas sine ullius Scriptura instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrociniò & vindicamus. Deinde enumeratis cæremoniis Baptismi, signi Crucis, Sacrificij anniuersarij pro defunctis, & aliis quibusdam, subdit: *Harum, inquit, & similiarum disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies, traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatricis. Idem passim traditione vrbium docet, lib. 1. contra Marcionem; lib. 2. ad uxorem; libro de uelandis virginibus, & libro de præscript. hæret. vbi ex infirmitate docet, hæreticos non ex Scripturis, sed ex traditione confutandos. Quæ ad hæc loca respondent, iam confutata sunt, cum ageremus de Irenæo & Basilio.**

*quæ sunt ritus
indifferen-
tes*

B. CYPRIANVS lib. i. epist. 12. *Vngi quoque necesse est, inquit, eum, qui baptizatus sit, &c.* At constat, nihil de chrismate in Scripturis haberi, sed tantum in traditione. Idem lib. 2. epist. 3. *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neq; aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in commemorationem eius offertur, mistus vino offeratur.* Respondet KEMNITIVS, loqui Cyprianum de traditione scripta. At falsum est, non enim aqua meminerunt Euangelistæ. HERMANNVS dicit, quia non est scriptum, Dominum posuisse aquam in calice, melius esse, non ponere: sic enim Dominum fecisse. At cum neutrum scriptum sit, mirum est, vnde tantum sibi assumat Hermannus, vt velit sibi potius, quam Cypriano credi.

BRENTIVS vertit se ad contumelias, dicit enim, Cyprianum semper esse nimium in suis opinionibus asserendis: & hæc illi incogitanter excidisse. Et ratio Brentij est, quia videtur Cyprianus inepta ratione probare hunc ritum. dicit enim: *Debere misceri aquam vino, quia vinum significat Christum, aqua populos Ecclesia: Et dum miscetur aqua vino, Ecclesia iungitur Christo; si autem vinum solum consecraretur, iam inciperet Christus esse sine Ecclesia. Quod certè ridiculum videtur. Quis enim credat, si vnus sacerdos non miscuerit aquam cum vino in calice, mox Christum amissurum Ecclesiam? At non animaduertit Brentius, vel animaduertere fortasse noluit, Cyprianum non de reali coniunctione, vel separatione Christi & Ecclesiæ agere, sed tantum de significatiua. Rectissimè enim in materia Sacramentorum argumentamur ab imperfecta significatione. Præterea, Cyprianus non vult seruari hunc ritum propter illam rationem præcipuè, sed quia Dominus sic docuit. Ratio autem illa addita est, vt ostendatur traditio rationi conformis esse. Quocirca, etiamsi Cyprianus non attulisset conuenientem rationem, non propterea negandum esset, ritum hunc esse seruandum, vel à Domino traditum.*

S. HILARIVS libro contra Constantium Imperatorem, circa medium, obiicienti Ariano principi: *Nolo Verba, qua non scripta sunt, legi.* Respondet: *Hoc tandem, inquit, rogo, quis Episcopis iubeat? quis Apostolica predicationis veteris formam? Dic prius, si rectè dici putas, nolo aduersus noua venena*

nouas medicamentorum comparationes, &c. Quibus verbis duo indicat Hilarius; vnum, prædicationem consubstantialitatis Patris & Filij esse Apostolicæ prædicationis, licet expressè non sit scriptum, Filium esse Patri consubstantialem alterum, nomen ipsum *ὁμοούσιον* esse quidem nouum, sed men retinendum, licet non sit scriptum, quia conforme est prædicationi Apostolicæ.

HERMANNVS hunc locum sua glossa deprauat. sic enim exponit: *Hoc, inquit, rogo, quis Episcopis iubeat, id est, ut aliquid extra Scripturam proferant.* At si ista est bona glossa Hilarius consentit cum Constantio; igitur malè subiicitur: *Præterea, si rectè dici putas, nolo aduersus noua & venena, etc.* Quod quod toto libro ferè hoc agit, vt nomen *ὁμοούσιον* retineatur at secundum glossam Hermanni aboleri potius voluisset.

S. AMBROSIVS lib. de iis, qui iniantur mysteriis, cap. 6. & lib. I. de Sacramentis, cap. 1. & 2. explicat ritus, qui vniuersa Ecclesia seruantur in Baptismo, qui nusquam inueniuntur in diuinis literis, & quos ceteri constanter referunt in Apostolos auctores. Serm. 25. 34. & 36. docet, Quadragesimam à Christo præceptam. Epistola 81. & serm. 38. docet Symbolum Apostolorum Apostolicam esse traditionem non scriptam. Contra Ambrosium multa blasphematur Hermannus, sed nihil officium nostro proposito.

S. HIERONYMVS in epistola ad Marcellam de erroribus Montani: *Nos, inquit, etiam Quadragesimam ex Apostolica traditione, tempore nobis congruo ieiunamus.* Item in Dialogo aduersus Luciferianos, ante medium, cum hæreticus dixisset: *Multa, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis & surpauerunt.* Respondit Orthodoxus: *Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, sed quale est, vt leges Ecclesie ad hæresim transferantur.*

S. AVGVSTINVS epist. 118. *Illæ autem, quæ non scriptæ, sed traditæ, custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri: sicut quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum, & Aduentus de cælo Spiritus sancti anniuersaria sollemnitate celebratur.* Ad hoc respondet Hermannus, multa garruens, & tandem concludens: *Cur, inquit,*

quit, *Augustine, extra Scripturam traditiones cum aliis Patribus Ecclesia obrudis?* Itaq; fatetur Hermannus, Augustinum cum aliis Patribus agnoscere traditiones non scriptas. Quae sanè confessio sufficere deberet, si quid haberet sanitatis, ad ipsius petulantiam coërcendam.

At BRENTIVS dupliciter respondet. Primò dicit, si verum sit hanc esse Apostolicam traditionem, non esse accipiendam vt legem necessariam, sed vt liberam obseruationem. At contra, nam Augustinus ibidem subdit: *Alia Verò qua per loca terrarum regionumq; variantur, &c. liberae habent obseruationes.* Vbi Augustinus distinguit inter has Apostolicas traditiones necessarias, & obseruationes liberae. Secundò dicit Brentius Augustinum falsò docere, ista festa esse ex Apostolica traditione, cùm Apostolus arguat Galat. cap. 4. quòd dies obseruarent & tempora. Sed respondet Augustinus epistola 119. cap. 7. Apostolum reprehendere eos, qui secundum Astrologorum regulas obseruant tempora. Et libro contra Adimantum, cap. 16. dicit, Apostolum loqui de festis Iudaeorum, non Christianorum. Quomodo exponunt etiàm Hieronymus & Chrysostomus; Ambrosius autem vtramq; simul expositionem amplectitur.

In prioribus consuetudine inuenerit, ut uerè similiter in fialis in posterioribus aia. Secundum aia in ditione eremboniam frig liberam ep. colligunt e h. berum.

Idem verò AVGVSTINVS lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 7. *Quam consuetudinem, inquit, credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen, quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Et lib. 4. cap. 6. *Illam consuetudinem, quam & tunc homines sursum versus aspicientes, non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis traditam creditur.* Et lib. 4. cap. 24. *Quod vniuersa, inquit, tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Et lib. 5. cap. 23. *Apostoli, inquit, nihil quidem exinde preceperunt, sed consuetudo illa, qua opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse, credenda est, sicut sunt multa, quae vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis precepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Item libro de vniuersitate Ecclesiae, capite 19. *Hic fortè dicitis, inquit, lege mihi, quemadmodum Christus suscipi iusserit eos, qui*

l. 5. c. 4. diuis. Tot tantisq; scriptis raris testimonijs.

August.

qui ab hæreticis transire ad Ecclesiam volunt. Hoc aperte dicitur
evidenter, neq; ego lego, nec tu, &c. Et postea subdit: Cum hoc
nusquam legatur, credendum esse testimonio Ecclesie, quam
veracem esse Christus testatus est. Similia habet lib. I. contra
Cresconium, cap. 31. 32. & 33.

Ad hæc KEMNITIVS responderet duo. PRIMO, Augustini
questionem in istis locis esse, an posset proferri exemplum et
Scriptura, quo hæreticus aliquis rebaptizatus, vel sine nouo
Baptismo susceptus fuisset doceretur; non autem, an essent
baptizandi, vel non rebaptizandi hæretici. & quidem Augu-
stinum putasse, non posse proferri tale exemplum, & hoc docere
in locis allegatis. SECUNDO ait, Augustinum sine dubio
credidisse, existere certa & aperta testimonia in Scripturis,
quibus probetur, non esse hæreticos rebaptizandos, proinde
hanc traditionem esse scriptam.

PRIMUM probat ex lib. I. contra Cresconium, cap. 33. ubi
Augustinus ait: Proinde quamuis huius rei certum de Scrip-
pturis canonicis non proferatur exemplum, &c. & similia ha-
bet lib. de unitate Ecclesie, cap. 19. SECUNDUM probat. PRIMO,
ex lib. I. contra Donatistas, cap. 7. *Ne videar humani ar-
gumentis agere, ex Evangelio profero certa documenta. Se-
cundò*, ex lib. 2. cap. 14. *Quid sit perniciosus, & utrum non bap-
tizari, an rebaptizari, iudicare difficile est. Verumtamen re-
currere ad illam stateram Dominicam, ubi non ex humano
sensu, sed ex auctoritate diuina rerum momenta persentire
inuenio de utraque Domini sententiam. Tertio*, ex lib. 4.
cap. 7. *Huc accedit, quia bene perspectis ex utroque lateri dis-
putationis rationibus, & Scripturarum testimoniis, potest
etiam dici, quod veritas declarauit, hoc sequimur. Quarto*, ex
lib. 4. cap. 24. *Veraciter conici potest, quid valeat paradigma
Baptismi Sacramentum, ex circumcisione carnis, &c. Quinto*,
ex lib. 5. cap. 4. *Quisquis & Ecclesie consuetudine, & poste-
riori robore plenarij Concilij, & tot tantisque sanctarum Scrip-
pturarum testimoniis, & perspicuis rationibus veritatem in-
telligit, Christi Baptismum verbis Evangelicis consecratum,
non fieri cuiuslibet hominis peruersitate peruersum. Sexto*, ex
lib. 6. cap. 1. *Poterat iam sufficere, quod toties reperitis ratio-
nibus, adiunctis etiam Scripturarum documentis, ostendimus.*
SEPTIMO, ex lib. 5. cap. 23. *Contra mandatum Dei esse, quod ve-*

nientes ab hæreticis, si iam illi Baptismum Christi acceperunt, baptizantur, Scripturarum sanctarum testimonio nō solum ostenditur, sed planè ostenditur. Octauò, ex lib. 5. cap. 26. Quod nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum. Traditum est ergo nobis, sicut ipse commemorat, ab Apostolis, quod sit vnus Deus, vnum Baptisma.

Respondeo ad PRIMVM, falli Kemnitium; Nam etsi AUGUSTINVS in illo vno loco lib. I. contra Cresconium, cap. 33. de exemplis agit, tamè in aliis locis citatis non agit de exemplis, sed de præceptis, siue de documentis Scripturæ, præsertim lib. 5. contra Donatistas, cap. 23. cum ait: Quæ vniuersa tenet Ecclesia, ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquã scripta non reperiuntur. Præterea in illo etiam vno loco quaestio præcipua non erat de exemplo, siue de facto, sed de iure. Constat enim, eum tractare quaestionem de Anabaptismo, quæ erat inter Catholicos, & Donatistas: certum autem est, Donatistas non certasse de exemplis, sed de iure.

Quia verò inter disputandū hæretici petiuerant, ut ostenderent Catholici aliquod exemplum in Scripturis, alicuius recepti ab Ecclesia sine baptismatione, Augustinus respondit, exempla in Scripturis nulla esse, nec pro vna parte, nec pro alia; & inde concludit, cum non sint vlla in Scripturis non solum præcepta, sed nec exempla, standum esse consuetudini Ecclesiæ, quæ rectissimè creditur ab Apostolis introducta. Quod autem hæc ita se habeant, patet tum ex ipsis locis, tum ex eo, quod, si quaestio præcipua fuisset de exemplis, Donatistæ non fuissent hæretici, nec vllò modo errassent; nam verissimum est, quod illi dicebant, consentiente eis etiam Augustino, nullum exemplum extare in Scripturis de hac re.

Ad SECUNDVM dico duo; Primò, nos non adferre illa loca Augustini præcipuè propter id, quod ipse ait, consuetudinem non rebaptizandi esse ex Apostolica traditione, sed propter id, quod ipse in illis locis subiungit, plurima seruari ex traditione Apostolica, quæ scripta non sunt. Hoc enim principium tam certum erat apud Augustinum, ut inde probare vellet, etiam consuetudinem non rebaptizandi, esse ab Apostolis traditam. Itaq; nos magis nitimur hoc principio Augustini,

fini, quàm conclusione eius. Kemnitius verò ita nos oppugnat, quasi sola conclusione niteremur.

Dico SECVNDO, illam ipsam consuetudinem nunquam putasse, Augustinum posse sufficienter probari ex Scripturis, & ideo attulisse quidem eum vndecunq; rationes & Scripturas, tamen præcipuum fundamentum constituisse in traditione, quam declarabat Ecclesiæ consuetudo, & quam etiam postea declaravit Concilium generale, vt patet tum ex loci citatis, tum ex lib. 2. contra Donatistas, cap. 4. vbi ad eum non putabat esse clara testimonia Scripturæ de hac re, vt diceret: *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi vniuersalis Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati.* Et magis adhuc patet respondendo ad singula loca à Kemnitio notata.

Ad PRIMVM lib. 1. cap. 7. contra Donatistas, respondens mala fide à Kemnitio omissa fuisse verba, quæ erant in medio, & coniuncta prima cum postremis. Nam posteaquam dixerat Augustinus: *Iam ne videar humanis argumentis agere;* subiunxit, quod omisit Kemnitius: *Quoniam quæstio huius obscuritas, compulit magnos viros diu fluctuare, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sententiandum erat, remotis dubitationibus firmaretur;* & tunc demum addit: *Ex Euangelio profero certa documenta.*

Dixit ergo Augustinus, non potuisse ex Scripturis finiri quæstionem illam ante Concilium Ecclesiæ plenarium, sed postquam Concilium explicauit dubitationem, & quæstionem totam, iam adferri posse certa documenta Scripturæ enim explicata à Concilio, firmiter & certo probant id, quod antea non firmiter probabant. quod etiam verum esse ostendit locus ex Euangelio, quem adfert B. Augustinus. Adfert enim illud Lucæ 9. *Nolite prohibere; qui enim non est contra vos, pro vobis est.* Quo loco ostenditur etiam Ecclesiam posse esse aliqua dona Dei, vt erat illud donum eiiciendorum dæmonum; an autem inter illa etiam Baptismus numerandus esset, non potest colligi ex isto loco solo.

Ad SECVNDVM respondeo, locum illum non esse ad propositum; ibi enim Augustinus probat ex Scripturis, non licere rebaptizare, quando quis verum Baptismum semel in Ecclesia Catholica suscepit, non autem probat Baptismum hereticorum esse verum Baptismum, de quo est nostra quæstio.

Docce

Docere enim eo loco volebat, posse admitti in Ecclesiam per penitentiam eos, qui agnoscebant se malè fecisse rebaptizando Catholicos. Neque aliud Scripturæ testimonium profert, nisi illud Ioan. 13. *Qui lotus est, non indiget ut iterum lauet.* Ex quo loco nemo colligeret, Baptismum hæreticorum esse ratum, sed solum (quod Augustinus colligit) post verum Baptismum non esse addendum alium Baptismum, quod nec Donatistæ negassent.

Ad III. IV. V. & VI. dico, Augustinum ibi adferre coniecturas ex Scripturis, quæ post definitionem Concilij, & exploratam traditionem non scriptam, aliquid valent ad veritatem confirmandam, per se autem non sufficiunt. Id patet ex verbis Augustini, ubi semper ponit Scripturas post consuetudinem, & Concilium, & vitur illis verbis; *Accedit huc; Coniicere possumus; Additis etiam Scripturis, &c.*

Ad SEPTIMUM dico, Kemnitium mala fide citasse. Illa enim verba (*Scripturarum sanctarum testimoniis planè ostenditur*) non referuntur ad superiora, quæ posuit Kemnitius, sed ad sequentia, quæ ille tacuit. Sic enim ait Augustinus: *Planè ostenditur multos Pseudochristianos, quamuis non habeant eandem caritatem cum sanctis, sine qua nihil profunt quacunq; sancti habere potuerint, Baptismum tamen communem habere cum sanctis.* Vbi Augustinus dicit, certum esse ex Scripturis, multos Christianos baptizatos in Ecclesia perdere caritatem, & tamen non perdere Baptismum, id quod etiam Donatistæ concedebant: nō autem dicit, certum esse ex Scripturis, Baptismum datum ab hæreticis esse ratum.

Præterea, etiam si illa verba referrentur ad superiora, adhuc nihil haberet Kemnitius, nam ibi etiam non dicit Augustinus, certum esse, Baptismum hæreticorum esse ratum, sed dicit certum esse, eum qui verum Christi Baptismum accepit, non debere rebaptizari, quod etiam Donatistæ concedebant: sed postea supererat quæstio, an Baptismus hæreticorum esset verus Christi Baptismus, nec ne.

Ad OCTAVUM dico, ibi Augustinum non probare ex Scripturis sententiam suam, sed referre, qua Scriptura conabantur aduersarij probare contrariam sententiam.

